

J. N. J.

CONTINUATIO  
DISSERTATIONIS.

*Qua ostenditur*

Borussos ad generalem Expeditionem extra  
fines suos non esse adstrictos

Quam

sub Præsidio

DOMINI

M. MARTINI BÖHM,

*Professoris Publici, Fautoris sui semper  
colendissimi*

pro virili Defendere conabitur

JOHANNES HINTZ,

*Tempelburgensis Pomer:*

Autor & Respondens

in Auditorio Maximo

D. Decembr : Anno 1700.

E Chalcographeo Thoruniensium.

MAJORUM Civitatum  
Regalis BORUSSIÆ  
THORUNII,  
ELBINGÆ,  
GEDANI,

*Viris Magnificis*

Generosis, Nobilissimis, Consultissimis atq̄s

E XVIII 208 *br. nachh.* Amplissimis

DOMINIS, DOMINIS,  
BURGGRABIIS REGIIS  
PRO-CONSULIBUS

&

CONSULIBUS

Mœcenatibus & Musarum Patronis Maximis.

*Devotissimus Clientis*

J. H.



\* \* \* \* \*

**N** jam, quod debui, Lector Benevole.  
Debitum est, quod vides, cujus ipse me ti-  
bi ultro feci Debitorem. Debitorem, in-  
quam, qui quod semel promisit, recusavit  
nunquam, inprimis, ubi de tuo amore quic-  
quam sibi polliceri potuit. Et vero quod promisi,  
jam dependo. Plura promisi, plura jam hac, grato  
& benevolo suscipe animo.

§. I.

Modos militiæ veterum Prussorum & arma enucleat B. Hart-  
knoch in dissert: Hist. de variis Rebus Prusiciæ dissert: XVIII. Constat  
quoque ex P. Dâsburgii Chron: Pruss. Part. II. & III. eos pedibus  
& armis i. e. plumbatis fustibus, gladiis, sagittis, clypeis, lanceis,  
propugnaculis, signis, & vexillis in bello usos fuisse; Cum vero Teu-  
tonicus Crucigerorum Ordo circa initium Secul. XIII. Prussiam in-  
traisset plenis armis, dextrariis opertis, Platis & aliis levioribus ad-  
versus hostes pugnabant, ut videre est in Privilegio Culmensi N. 31.  
ubi per dextrarios intelliguntur equi bellicosi, & per Platom, Lo-  
rica, qua pectus tantum militantis muniebatur. Armorum istorum  
usus erat identidem varius (1.) ut exercitarentur Prussi in bellis  
adversus hostes, unde tempore Pacis fiebant torneamenta & alii mi-  
litares

litares ludī, quo instante bello exercitum inde caperent (2.) ut hostium infidiæ repellerentur (3.) ut eorum aperta impugnatione convelleretur (4.) ut Incolæ Terrarum Prussiæ bona sua in pace possiderent, (5.) ut bona perditā amissaque recuperarent (6.) ut hostes visis armis tererentur. *Conf: Dñsburg: Chr: Pruss: Part. II, c. 7.*  
§. II.

Apud Polonos vero Vladislaus Jagello Rex videns incommoda Expeditionum generalium, primus milite mercenario, Equite & Pedite usus est, ut Reverendiss: quondam Episcop. Warmiēsis M. Cromerus lib. II. de Republ. Pol. testatur. Equiti stipendium trimestre 14. fl. numerabantur: Pediti minus fuit statutum, Sigismundus Augustus deinde, Nepos Vladislai, ex oppidana plebe delectum fecit, & XV. M. Peditum coegit, quibus stipendia per Præfectos solvenda curavit. Insuper Stephanus Bathori in meliorem ordinem & disciplinam revocavit militiam Polonam. Is quemadmodum in templo erat plus quam Sacerdos, in Republ. plus quam Rex, in Sententia dicenda plus quam Sævator, in iudicio plus quam Ictus, in adversis perferendis, injuriisque condonandis, plus quam Vir, in publica libertate tuenda, plus quam Civis, in amicitia servanda, plus quam amicus, in convictu, plus quam familiaris, in Venatione ferisque domandis, plus quam Leo, in tota reliqua vita plus quam Philosophus, ita in Exercitu, plus quam Imperator, & in acie plus quam miles, quod Elogium Grodnæ in M. Ducatu Lithvaniæ An. 1586. die 12. Decemb. mortuo scriptum in Flor. Pol. J. Pastorii lib. IV. p. 307. 308. leges, in Comitijis quippe Varsoviensibus una cum reliquis ordinibus An. 1582. decrevit, ut duo millia hastatorum Equitum in finibus Podoliæ adversus Tartarorum frequentes excursiones collocarentur, eisque quarta Pars Censuum fisci regii perpetuo assignaretur. Quarta hæc deposita fuit in Castro Ravensi, unde milites, impensis Regis legibus Regni adstricti Militaturi, dicti sunt Quartiani, quorum Conservationem & in Ukraina Collocationem in posterum urgebat *Constit. An. 1647. f. 13.* Contra moschos vero pugnaturus Germanum Equitem & Pedites Hungaros adhibuit, quos tamen omnes parum acceptos fuisse narrat Paulus Piascius Episcop. Præmisiensis Chron. p. 11. Rationes ibidem afferuntur duæ, quas vide. Quare in votis habuit, vigesimum

num quemque Coloniam ex Oppidis & Colonis suis legere, qui Conatus intra Vota tantum steterunt. *Conf. Franc. Marinus de scopo Reipubl. Pol. c. Herm. Conringium c. 9. p. 200. & 202.* Sequentibus temporibus, quæ in Polonia fuerit militiæ ratio, magna ex Parte docet nos *Simon Staromolscius Instit. Rei Militaris libb. VIII.* qui Florentiæ An. 1646. prodierunt. Cum autem Prusii mercenariis non egeant armis, se ipsos, Fortunas & Facultates suas, pro salute Patriæ, discriminibus belli exponunt, neque tamen extra fines suos ad Generalem Regni Expeditionem egredi obstringuntur, cujus auræ libertatis documenta nuper delineavimus, nunc Promissorum tenaces, Spicilegii instar, alia colligemus, plura expectantes ab aliis.

§. III.

Ut supra fundamentum libertatis nostræ Prusicæ in Privilegio Hermanniano Eberhardino, seu Salzio Seyniano collocavimus: ita illius basin ulterius petimus ex *glor. memor Casimiri III. (IV.) Reciproca Sponsione*, quam Statibus Terrarum Prusicæ paterne regieque indulgit. Et in eam pro se, tum pro Successoribus suis clementissime definivit ut Privilegiis antiquitus ab alio Domino concessis libere utentes, sub defensione, tutela, & protectione Sereniss. Poloniæ Regum essent. vid. *Casp. Schüz. Hist. rer. Prusic lib. v.*

§ IV.

Huius quidem rei altius, sed breviter, repetenda est memoria. Cum ordo Marianorum Equitum Teutonicus-Secul. XIII. evocatus intra 53. Annos (juxta Dûsburg: 50.) sub potestatem suam Prussos redegisset, ut victo imperavit Populo; Cum vero ab Exteris premeretur hostibus, par eorum viribus tollendis esse non potuit, ideo subceptorum auxilio Consilioque usus est, & quia res feliciter processit, pro laboribus in bella externa impensis præmia militarium operum, immunitates ac Privilegia varia Prusii à Crucigeris retulerunt; Hi tamen insolentiores facti, ut sit in rebus secundis, gentem ad libertatem natam tyrannicis presserunt modis, & 40. gravamina ab eius cervicibus nunquam non remove blandis verbis recusarunt, quare status Prusicæ An. 1454. die IV. Februar. in hac urbe congregati, Ludovico ab Erlichshausen, generali Magistro, scriptis ad eum literis, obsequium denegarunt. Vide *Casp. Schüz. Hi-*

Not : rerum Prussic: lib V. f. 195. Anno deinde eodem VI. Martii à  
 Sereniss. Rege Casimiro Privilegium impetrarunt, cuius Privilegii  
 articulos lectu dignos recenset Schüzius lib. v. fol. 201. b. inter quos  
 etiam hic est, quod Rex Prussos contra omnes & singulos hostes tueri  
 & defendere, ac eorum immunitates ac libertates salvas integras-  
 que conservare vellet. Prioris articuli egregium specimen præstitit  
 Sereniss. Casimirus, quando Castris ad Ollam positis Prutenorum de-  
 fendit fortunas & salutem. *Schüz. l. c. f. 209.* Quin Privilegium  
 Terrarum Prussicæ à D. Casimiro, excusso Crucigerorum iugo, conces-  
 sum, in hoc puncto sequentibus verbis est conceptum, quæ invenies  
 inter Privilegia ducatus Prussia edita Brunsbergæ A. 1616. f. 15. b. Pro-  
 mittentes pro nobis, Hæredibus & successoribus nostris, ac Universo Regno  
 Polonia, quod prædictas Terras & Dominia, atque Prælatos Spirituales  
 & seculares, Barones, militares, Nobiles, Cives, Oppidanos & cujuscun-  
 que conditionis, status, vel præminentia homines existant, hætenus in  
 illis commorantes & impostèrum commoratuos, favore, gratiâ, benevo-  
 lentiâ, & affectione Regali prosequemur, & contra quascunque adversi-  
 tates, impugnationes, quorumcunque hominum illis præstabimus, velut  
 fidelibus & subditis nostris, Regalem assistentiâ & defensam, nec illos  
 aut Terras Prædictas à corpore & integritate Regni Nostri Polonia, alie-  
 nari, sequestrari, scindi patiemur.

§. V.

Confirmabimur magis magisque in hac Sententia si reciprocam  
 sponsonem Regi Casimiro circa incorporationem & spontaneam de-  
 ditionem factam evolverimus, in qua quidem Pruteni distincte &  
 cautè defensionem Terrarum Prussicæ promittunt, voluntque Regibus  
 Poloniae contra quoscunque eorum hostes, ope, præsidio, consilio  
 & auxilio, contra Magistrum vero corpore, animo, & rebus & effectua-  
 assistere. Verba ipsa tanti ponderis momenti que plena non pigra-  
 bõr adscribere, quæ reperiuntur inter privilegia ducatus Prussicæ f.  
 17. b. 18. à. Prostantes Domino Casimiro Regi & suis successoribus, &  
 Regibus Poloniae in omnibus felicibus adversis & quibus cunque Ca-  
 sibus, ope, præsidio, Consilio & auxilio fideliter contra quoscun-  
 que eorum hostes & adversarios & quasunque Personas Ecclesia-  
 sticas vel seculares, quacunque præfulgeant dignitate, Communi-  
 tates

tates, Universitates, & signanter contra Magistrum & Ordinem  
quondam Prusiae, Almaniae, & Livoniae, fideliter, corpore, ani-  
mo, & rebus & cum effectu assistere. „

§. VI.

Opem tamen hanc ægre & per Intervals Regem à Prusis im-  
petrasse ex Recensibus Comitiorum sive Conventuum Generalium in  
Prussia habitorum discimus; Nam cum in Conventu Mariæburgensi  
An. 1479. Dominica Invocavit Rex per Legatum suum Contributio-  
nem ad res militibus expungendum per Accisam (quod genus Con-  
tribuendi tum primum auditum est) decerni à statibus Terrarum  
Prusiae postularet, non nulli in eam consenserunt, quæ tamen an eo  
tempore soluta sit dubitatur, quia demum Festo Bartholomæi in  
eodem conventu Accisa in unum annum decreta, antequam Accisa  
superior solvi potuerit. Ideo Anno 1480. in Conventu Grudentinensi,  
Civitates conquestæ sunt, unum Civem Thoruniensem plus contri-  
buere quam Nobilitatem Culmensis, & unum Gedanensem, quam  
Pomeranicam. Opæ Ergo Pecuniaria subvenire quandoque volue-  
rant Prussi Regi Regnoque, quam ut corpore extra fines Terrarum  
suarum ad generalem Expeditionem exirent. Id quod etiam ultimo  
mortis Casimirianæ anno status Prusiae Vilsæ S. R. M. sanctissime  
præsiterunt per legatos suos, Nicolaum à Baysen, Mariæburgensem,  
Nicolaum à Wolkaw Pomerelliae Palatinos, Matthæum Rabe Elbin-  
gensis Castellatum, Andream à Borischau Pomerelliae Succame-  
rarium, Bartholomæum à Malden Culmensis Terræ Judicem, & Lu-  
dovicum à Mortangen Cui quoq; splendidissimæ Legationi, è Civi-  
tate nostra inter fuerunt Tidemannus ab Allen, & Andreas Hentze;  
Elbingensi, Nicolaus Sonnewald & Matthias à Lohe: Gedanensi,  
Georgius Buk & Henricus von Suchten, Conf. Schöf lib. IX, Hist.  
Rer: Pruss: f. 386, b. seqq.

§. VII.

Sub Johanne Alberto, Casimirifilio, & Thorunii An. 1501. die  
17. Junnij ex Apoplexia mortuo, nullam Contributionem à Prusis so-  
lutam esse certum est, licet Anno 1499. Rex in Comitij Cracovi-  
ensibus eam inter alia onera à Prutenis efflagitaverit, quandoqui-  
dem responderunt, se tanquam privatim evocatos non posse in præ-  
judicium

judicium reliquorum Civium quicquam super illa consulere. Sub Rege tamen Alexandro in Conventu Grudentino, Francisci Festo An. 1507. habito, decreta fuit S. R. M. contributio in annum unum pendenda, scilicet de modio brafei, qui in molam invehebatur 2.  $\beta$ . de modio siliginis, 1.  $\beta$ . de modio Tritici 2.  $\beta$ . de minuratione avenæ & aliorum frumentorum 1.  $\beta$ . de annuis censibus tam bonorum regalium, quam priorum decima quæque marca.

§. VIII.

Quid sub Sigismundo Jagellonici Sangvinis Propagatore acciderit, in hoc passu fufius nunc explicandum venit. Ante omnia satis superque è *Schützii Hist: Rev. Prusie. lib. X; f. 448.* exploratum est, quod status Terrarum Prusis è Nobilitate Georgium à Baylen & Ludovicum à Mortangen è Civitate Thoruniensi Conradum Hittfeldium & è Gedanensi Eberhardum Ferberum Cracoviam ad S. R. M. An. 1515. ablegaverint, qui inter alia in mandatis habuerunt, ut S. R. M. humillimas deferrent gratias, quod Prussiam summis viribus defendere in se susceperit; simul etiam nomine Terrarum & Civitatum Solemniter promitterent, ut fideles viri S. R. M. defensionem Terrarum Prusis corpore & opibus ac defectionis à S. R. & Regno suspensionem penitus amoverent. Ano. 1536. pro Festo Stanislai Conventus Mariæburgi celebratus, in quo inter alia Rex per Legatum suum, *Fabianum Comam t. t. Capitaneum Starogardiensem* Prutenis lustrationem militarem imposuit & gbiis subsidium Pecuniarium, quod in aliquot annos sufficeret, petiit, spondente Rege, se Pecuniam illam in Prussia relicturum; Consenserunt tum Ordines Prusis in lustrationem Novam, Nobilitatique loca assignata; Culmensi Radzin, Mariæburgensi Stuma, Pomeranicæ Starogardia, adjuncta pecunia 10. fl. à minus instructis pendenda, & privatione bonorum in eos, qui contumaciter à lustratione abfuerint; Consensum & à Nobilitate in Contributionem unius anni de Mobilibus & immobilibus bonis (exceptis vestibus & Glenodiis) ut de una marca tres nummi penderentur, ea lege ut pecunia collecta in Prussia maneret, Civitates autem Majores propter gravamina non nullaeam recusabant, minoribus juxta majores se conformantibus. Ad. 1537. à statibus Thorunii pro Festo Michaelis congregatis, inter Cætera lustratio & contributio



tributio per Legatum Regium efflagitabatur. Responsum est qua-  
 lificationem, petere Prutenos, ut ea in commodius tempus differretur,  
 interim posse mandare Regem ut quilibet sub amissione Equi & ar-  
 morum in lustratione decenter sit instructus: qua Contributionem  
 regestum, ut ea in annum decerneretur & quidem 2.  $\beta$ . de modio  
 brafei. A. 1542. Rex iterum per Reverendiss: *Christophorum* Episco-  
 pum Plocensem subsidia bellica cum Regnicolis æqualia adversus  
 Turcica pericula à Prussis postulavit: nec postulavit solum sed & postu-  
 lati sui rationes Legatus asserere videbatur. (1.) quod Pruteni cum  
 Regno unum constituerent corpus (2.) quod communia essent peri-  
 cula ideoque communibus conjunctisque viribus tollenda (3.) quod  
 unum Dominum & communem hostem haberent. Responsum est ge-  
 nerice & unanimiter: Senatores Regni nil quicquam in Prutenos con-  
 sulere potuisse & debuisse, præsertim in Causa Privilegiorum, quo-  
 ad Contributionem nihil in Prutenis desiderari, sed quæ omnium o-  
 nerum ac expeditionum æqualitas à Polonis poseatur, nesciri; se  
 non esse servos, sed Voluntarie ad regnum accessisse, libertatem  
 suam Privilegiis firmatam esse & à majoribus sanguine defensam,  
 se in proximo bello à Polonis non esse defensos, Polonos in Borussia  
 non liberè sed stipendiis militasse Regi, quod & Borussia in Polonia fa-  
 cere non recusarent. Eodem anno pro Festo Stanislai Conventus  
 Mariæburgi habitus, in quo Rex per Fabianum Cemam t. t. Pomerani-  
 æ Succammerarium (qui gestis ad Budam, Regiam in Hungariâ  
 sedem interfuit) Turcicum bellum exposuit, simulque Contributio-  
 nem urgens inquisivit, quantis copiis Pruteni in validiori hostium in-  
 cursu sine deminutione Privilegii sui adesse possent? responsum,  
 Nobilitatem ad bellum propulsandum paratam fore *intra Prussia fines*,  
 quemadmodum Nobilitas Polonica propriis suis cervicibus à casibus  
 bellicis regnum defendere consuevit, & est adstricta, ut vult *Sta-*  
*utum* Anni 1378. f. 28. *conf. Promptuarium Legg. & Constit. regni ac M.*  
*Ducatus Lithvania ab Augustino Koludzki Judice Terrestri Jmowladista-*  
*viensi Anno 1697 editum.* Anno 1544. Rex pro Festo Stanislai in  
 Conventu Mariæburgensi per Legatos Reverendiss. & Illustriss. Re-  
 gni Senatores Nicolaum Vladislaviensem & Samuelem Plocensem  
 Regni Procancelarium, Episcopos, Janusium Latalski Posnani-  
 enses

ensem & JuniuLadislavienfem Capitaneum, Felicem de Szfembfki in Sokolowo, Plocenfem Mariaeburgenfemque ac Plocenfem Capitaneum, Palatinos, Statibus Terrarum Pruffiæ, Comitiorum Petricoviensium ftatutum expofuit, quo ad belli opera æqualiter ferenda adducerentur, & adverfus Turcas pugnatum exirent. Sollemniffimæ huic Legationi responderunt Pruffi, fe ad articulum Comitiorum Petricoviensium, qui tunc primum in manus ipforum veniffet, intra paucos dies, quibus DD. Legati fint commoraturi, non poffe reponere, deliberaturos tamen de hac gravi & fentica materia in proximo conventu juribus fuis & libertatibus falvis. Eodem anno pro Fefto Michaelis in Comitiijs Grudentinis per Paulum Plotowski Præpofitum & Canonicum Warmienfem duo poftulabat (1.) Confenfum Prutenorum de vi & impetu Turcarum majori propulfando, ac in Comitiijs Petricoviensibus An. præcedenti nondum exacte determinato (2.) novam Contributionem ad fedandos Pruffiæ tumultus ex Electione Novi Magiftri oriundos. Resp. ad primum copias militares e Pruffia in Poloniam mitti, nec poffibile nec tutum: Nobilitatem quidem in Expeditionem confentire, fed ita ut leges militiæ fecundum jura fua moderari fibi refervaverit, quibus cautum effct, e Pruffia non egredi, luftrationes infuper indicendas effe. ad 2dum contributionem ad publica fubfidia effe decretam in biennium, ut pote de modio brafei 2. ff. & de tonna exteriæ Cerevifiæ, 1. gl. maluerunt itaque hæctenus Pruffi opem Pecuniariam aliquando conferre in falutem regni, quam ut eandem corporibus fuis defenderent, & extra fines Patriæ fuæ militatum abirent.

§. IX.

Eandem fub Sigifmundo Augusto, filio Sigifmundi, probaverunt fidem, atque Regi fuo Clementiffimo ope. & auxilio unquam non defuerunt; Quandoquidem Ao. 1542. conventu pro Fefto Michaelis Grudenti celebrato, cum Legatus Regius fubfidium pecuniarium & adventum ad Regni Comitia uriffet, Ad utrumque a Prutenis refponfum fuit, & fubfidium fore, & ad comitia fe venturos, ac fecundum Privilegia Pruffiæ confultaturos. Ao. 1556. in Conventu pro Fefto Staniflai Mariaeburgi habito, inclinis Pruffiæ Statibus tria puncta expofuit Nuncius regius (1.) ut luftratio fieret (2.)

Con-

Contributio triennis decerneretur (3.) unio Prusiae cum Regno stabiliretur. Ad duo priora laudabiliter responsum, quando non solum iustratio promissa, sed & contributio annua laudata erat, ut pote 2. § de modio brasii & s. M. de 100. Quoad tertium membrum seorsivis ad Sereniss. Regem litteris animorum suorum sensa explicuerunt. Et haec gesta fuerunt sub Sereniss. stirpis Jagellonicae Regibus, ex quibus satis superque manifestum est, Prussos legitimis Dominis suis non corpore sed Ope pecuniaria adfuisse, quod haecenus ostendendum erat.

§. X.

Henrici Valesii, successoris Sigismundi Augusti post excessum in Galliam, breve fuit imperium, quod in Stephanum Bathori, consentiente Anna Filia Sigismundi, die 14. Decemb: Ao. 1575. Devolutum, & die 4. Januarij Ao. 1576. Andreiowiae confirmatum est, licet Jacobus Ochanski Archiepiscopus Gnesnensis, & Andreas Opalinski Regni Mareschalcus, aliique Prussi cum Civitate Gedanensi Maximilianum 11. Caesarem Romanum, Anti-Regem Poloniae elegerint; Tantum tamen abest, ut magnanimus Princeps Prusiae libertates everterit, ut potius easdem An. 1577. die 12. Xbris Marienburgi confirmaverit vid: Friedens decret, oder Unehmung zur Gnaden / in *Historica Rerum Prusicarum Continuacione Casp. Schütz a D. Davide Chytrus scripta lib. XII. f. 543. seqq.* Peculiare est, & inter singularia fata nummerandum, quod inter Sereniss: Regem & Civitatem Gedanensem intercessit, cum in illud bellum, vulgo Gedanense dictum, Lithvanici status non consenserint, illiusque svasores Nemesein Divinam experti sint, nec Gedanenses, Ratisbonae Anno 1576. die 12. Octob. Anti-Rege mortuo, Stephano Regi Serenissimo obedientiam denegarint, sed postularint (1.) ne sibi, quod Maximiliano adhæsissent, fraudi esset (2.) ut Augustana Confessio & Exercitium Lutheranae Religionis liberum confirmaretur. (3.) ne Portorium turbaretur, quod ultimum Rex ad Comicia referebat, Dantiscaenis reventibus, cum non essent statuum Polonicorum sed Regum Poloniae subditi. Conf. Reinh: *Carike Chron. Gedansens. lib. 3. c. XI.*

§. II.

Sub Sigismundo III. Prusia circa Privilegia sua clementissime

conservata est: Inconsultum quippe immo impium censebatur, Regionem tot præclaris urbibus portibusque exornatam, quæ merito granarium christiani orbis, & ventriculus regni reputatur, non sine summo periculo confidenter deserere; Ideo in conventu felicissimæ coronationis Cracoviensi, die 28. Decemb: Ao. 1587. Juramento Regio fuere confirmata. Vide confirmationem hanc jurium vol. consistit: Cracovia An. 1616. edit. f. 447. seqq. Peculiaris eidem Gaudio S. R. M. Ordinibus ducatus exhibita, quam invenies Constit. Anni 1621. f. 81. Prusii quoque propriæ non defuerunt Virtuti, sed indulcissima Patria adversus Gustavi Adolphi, Regis Sveciæ, copias immixtas fideliter excubabant. Eruperat Exercitus Svecicus in Borussia nostram atque nomine Regis sui e Castris ad Derschoviam positus A. 1626. die 15. Julii ad Prutenos non procul Grudento ad Ossam excubias agentes litteras dedit, quibus sollicitabantur, ut ad neutralitatem propenderent, aut potius obsequium Regi legitimo denegarent, Ast virtus Prussorum, ut Marpesia cautes, stetit; In hanc enim formam e Castris ad Ossam fixis Anno 1626. die 31. Julij rescriperunt, cujus responsi a mendis & vitis repurgari atque in paucissimorum Serinijis reconditi ( unde Constantia in Regem intemerata, & heroica Terrarum Prusiæ defensio intra fines suos cognosci potest) hæc est series: Quam justa ad Cruciatum inter duo inclya Polonia ac Svecia regna, bellum suscipiendum gerendumve causa utrinque per tot annos oblata est, & non legitima defensionis ac licita invasionis excusationem isthac terrarum Prusiæ infestatio mereatur, imprimis DEI judicio & communis naturæ rationi, eorumque, penes quos summa rerum gerendarum est potestas, justo arbitrio decernendum, relinquimus. Certe pacem justam & honestam sincere Nobis cura fuisse, & etiamnum cordi esse, Nos ingenuè & aperte protestemur, eamque omni bello, cujus non adventus solum, sed etiam metus affert calamitatem, semper antefereendam esse censemus. Et quoniam in hisce terrarum Prusiæ Regionibus Serenissimus Princeps vester, hætenus nulla est lacesitus injuria, utique dum se suæque ruondi praveniendique Consilio, sicut perhibet, Portus Borussia occludere satagit, quos fere omnes jam occupavit, profecto pedem manumque militarem huc aut ulterius promovere, nulla necessitate urgente, Christiani sanguinis effusioni nunc modum aut etiam finem impo-

ner, sigradum sisset, paceque & Concordia salutaris, quam omnibus ra-  
tionibus & actis se hactenus quesivisse DEUM testem invocat, nostras re-  
giones tranquillo frui, juste permittet. Quod attinet Neutralitatem,  
quam Serenissimus Princeps Vester Nobis offerre, de ea tractare ad Praesens  
Nobis non est integrum; Nam ex Pacto reciproca sponsione ordinum Ter-  
rarum Prussia, juxta Homagium divo olim Casimiro Regi eiusque succes-  
soribus, Regibus Polonia, corporali interposito juramento praestitum,  
cujus Formula publicis libris circumfertur, absque licentia & consensu  
moderni Serenissimi Regis ac Dni: Sigismundi III. Domini Nostri Clemen-  
tissimi, quocumque colore, arte, necessitate, casu, opportunitate vel inge-  
nio Coronam Poloniae deferere, aut in Praejudicium, laesionem, aut offen-  
sionem praesentis subjectionis & deditiois nostrae aliquis tractatus, Colloquia  
vel sermones inire, ex jurjurandi Religione sub fide & honore Nostro  
prohibemur, Quapropter Eidem Serenissimo Regi ac Domino Nostro pos-  
sulata Serenissimi Principis vestri, quam fieri potest citissime, ad noti-  
tiam deferemus, & de Serenissimi Regis ac Domini Nostri Sententia ac  
Voluntate cum Responso Nostro, ad Serenissimum Principem Vestrum,  
Nuntios Nostros mitemus. De caetero omnem adhibiuri operam, ut mu-  
tua pacis & tranquillitatis Conditiones inter utramque Regnum Poloniae &  
Sveciae justis & honestis conditionibus stabiliantur. Hac de mutuo con-  
silio & consensu Palatinatum Prussiae Regalis, itemque nomine Civitatis  
Thoruniensis, ad Illustres, Magnificas, Generosas Dominationes Vestras  
perscribenda esse diximus. In quorum omnium fidem sigilla Illustris &  
Magnifici Domini Palatini Culmensis ac Civitatis Thoruniensis sunt appen-  
sa. Datis in Castris ad Offam 5<sup>to</sup> Julij Anno Domini 1626. En immotam  
inconcussamque Prussorum in Reges fidem! En egregiam Patriae  
suae defensionem!

§. 12.

Sub Vladislao IV. Filio Sigismundi III. die 16. Februarij  
An. 1633. Regno Poloniae inaugurato res Prussorum, quoad Privilegia  
& immunitates suas, steterunt illibatae: de hoc B. Hartknoch Rei-  
publ. Pol. lib. 1. c. 2. N. 14. notanter scribit. Sigismundum III. in re-  
gimine excepit Vladislavus felici in Poloniam statu introducto, devictis Tur-  
cis & Magno Ducatu Moscovia (cujus etiam Tzar electus est) sibi sub-  
jugato, ad omnem Posteritatem memorandus. Hoc mortuo & ipsa regni

*Polonia sollicitas mortua fuisse videbatur. Elogium ejus ab Urbano VIII. P. R. scriptum, leges in Historia Vladislai a Stanislao Kobierzycki Castellano Gedanensi collecta lib. XI. p. 593, seqq. atqui hic Pacificus Princeps Prussis non legitur fuisse molestus, juxta eos ad expeditionem extra fines suos evocaret.*

§. XIII.

Iohannes Casimirus & in thronum & thorum Vladislai fratris successit, multo tamen infelicioꝝ eodem exitit. Hic Prutenos ab Expeditione Generali absolvit, quando in Constitutione An. 1659 hunc articulum inferi passus est: *In casu gwałtownych nie przyjacielskich interpret, Ktoremby wojska nasze wydać nie mogli; Pospolite Ruszenie, za zgodą wŝszch Stanow Koronnych według Constitucyey seymu Przeszłego Anni 1658. juxta qualitatem & quantitatem facultatum, iednak sine divisione belli, postanawiamy; Ktore do Przyszłego seymu w mocy naszej zostawać ma, takim sposobem, iż in Casu następiącego niebezpieczeństwa, iedne za dwoje wići z Cancellaryi naszych wydać rozkazemy. Woiewodztwa zaś Mazowieckie, ziemia Lukomska, według dawnych praw y zwyczajow w zględem pospolitego Ruszenia zachowac się mają, także Woiewodztwo Podolskie przy Kamieniu in armis zostawać ma; Woiewodztwo Podlaskie według dawnych praw wyprawiac służbę są mają. Prussacy także nad Drwęcę według praw dawnych, Dwor Krolowi Jey MCI y naywielebnieyszego X. Arcybiskupa Gnieznskiego według Constitucyey 1654. wolny zostawa.*

§. XIV.

Michaelis Koributhi regimen, vix quadrienniu duravit, in cuius exitum, nescio quis? lusit apud Joh: Christ: Becman. Hist. geograph: Civil: p. 683, vere Michael Rex Poloniae sanctos inter primarios nummerandus est; Mors enim ipsius fuit pretiosissima, quis non pretiosam mortem existimet, quae adamantibus comparata est? Sub hoc Prussia sua Consuetudine adulta fraebatur. Johannis III. gloriosissimi Regis memoria etiam post fata desideratissimi in animis Borussiae perstat illibata, quando An. 1676. Constit. Comitiorum coronationis articulum [hujus tenoris intulit, nullis malevolorum unguibus erodendum vel eradicandum, tit. Pospolite ruszenie

szanie p. 12. 13. Woiewodztwo Podlaskie, y Ziemię Lukowską według praw y zwyczajów przy wyprawie y dziełsiąci Włok, sine diminutione, konnego Zolnierza dobrze munderowanego zachowujemy. ktora wyprawa do popisu Generalnego z innymi Woiewodztwami na wesciu do Obozu ma bydz stawiona. Woiewodztwa Pruskie przy Prawach y dawnych zwyczajach, a Kijomskie, Bractawskie, y Czerniechowski przy Konfyrucyey Anni 1654. konserwujemy.

§. XV.

Non negamus tamen Borussia, licet ad militiam Generalem Regni nequaquam teneantur, virtutem, alacritatem, fortitudinemque suam militarem, contra quosvis Regni hostes abunde semper proprio etiam sanguine esse contestatos. Et vero ut coeteros praeteream (quis enim omnes calamo exprimeret:) praestantissimos harum Terrarum heroes, silentio sane praeterire non possum, Generosissimos illos Martis Pullos, Ernestum Vejerum, Johannem Vejerum, Ludovicum & Martinum Vejerum, Jacobum & Ludovicum Pomorscium, Lucam Dzialinium Stanislaum Kostkam a Steinberg, Joh. & Paulum Dzialinium, Stanislaum Konarscium, Joh. Ostromecium, qui ut semper, ita amorem suum indefessum quavis ingruentis belli necessitate, abunde Regibus: & Incaelyto Poloniae regno demonstrarunt; quando singulari sua prudentia & Eximia in re militari experientia, libertatem Patriae, ipsiusque regni integritatem, cum summa Reipubli: laude, suaque nunquam intermoritura memoria, tanquam fortissimi Atlantes, non absque propriae vitae discrimine, quovis tempore custodiverunt.

Concludetes Itaque; jam cum fine Seculi XVII. opellam hanc nostram geminamus pie ac devote ex *Sim. Starovolsco*, ejusque verba ad calcem *Lib. de re militari* addita, Calamo oreque dextro repetimus:

Tu o Exercituum DEUS, & Protect or noster, aspice super humilitatem servorum tuorum. Et cogita cogitationes pacis & non afflictionis, ut in pace viventes securi Tibi serviamus ad Laudem, gloriam, & honorem Nominis Tui.

Fiat! Fiat! Fiat!

COROL -

## COROLLARIA.

- I. Scopus Reipubl. Polonicæ non est Vira luxuriosa.
- II. Quo tempore Duces Poloniae Reges vocari ceperint, incertum est.
- III. Poloni Religionem Christianam Sec. X, post N. C. circa An. 965. sub Duce Miecislao susceperunt.
- IV. Respubl. Polonica majoribus firmata fuit viribus, ex quo per Jagellonem M. D. Lithwaniæ Ducem, Lithwania Regno Poloniæ An. 1386. est conjuncta.
- V. Poloni olim ad Magdeburgense Tribunal appellarunt sive provocarunt.
- VI. Nobiles a Rege absque Consensu Comitiorum puniri possunt.
- VII. Regi Poloniae adhuc viventi alius substitui non potest.
- VIII. Post excessum Sigismundi Augusti, a Rege, Senatu, Nobilibusque Regni prolatae leges, dictae sunt *Constitutiones Regni*, ut apud Germanos sunt *Recessus Imperii*.
- IX. Stephani Regis tempore in Comitibus, Varaviae An. 1578, celebratis, ea Judiciorum forma inventa est, quae apud Polonos Tribunalis nomen invenit, estque respectu loci duplex, Petricoviense & Lublinense.
- X. Polonia reliquas Respubl. equitatu vincit.

